

DISTINCTIO IV

Dilucida et aperta divisio secundae particulae Primae principalis huius libri, atque non obscura praesentis distinctionis subdivision, in qua quidem Magister auspicatur sermonem de Deo quoad personalem originem, seu distinctionem.

HIC ORITUR quaestio etc. Postquam Magister determinavit de Deo quantum ad essentiae divinae unitatem et personarum trinitatem, hic incipit tractare de eo quantum ad personalem originem, et per consequens quantum ad distinctionis alietatem. Et dividitur in duas partes, quia primo determinat Magister de generatione Filii. Secundo, de processione Spiritus Sancti ibi: *Nunc post Filii aeternitatem*. Prima in duas, quia primo tractat de Filii generatione. Secundo, de generantis et geniti coaeterna duratione ibi: *Nunc ad distinctionem personarum*. Prima in duas, quia primo tractat de generatione divina. Secundo, de potentia generativa ibi: *Hic solet quaeri a quibusdam*. Prima in duas, quia primo tractat de generante et genito. Secundo, de generandi modo ibi: *Praeterea quaeri solet*. Prima in duas, secundum quod duas quaestiones movet de termino divinae generationis. Quarum prima est *utrum Deus genuit Deum*. Secunda, *utrum divina essentia possit dici gignens vel genita*. Secundam quaestionem movet circa principium quintae distinctionis ibi: *Post haec quaeritur*. Prima dividitur in quattuor partes. Nam primo movet quaestionem. Secundo arguit ad eam. Tertio respondet ad quaestionem. Et quarto ponit argumenti solutionem. Secunda ibi: *Si enim Deus genuit Deum* etc. Tertia ibi: *Ad quod respondentes* etc. Quarta ibi: *Nunc ad praemissam quaestionem*. Istarum tertia pars dividitur in tres partes, quia primo ponit Magister suam responsionem. Secundo, contra responsionem adducit quorundam garrulorum obiectionem et respondet ad eam. Et tertio tollit circa istam materiam quorundam errorem. Secunda ibi: *Sed adhuc opponunt*. Tertia ibi: *Quidam tamen veritatis adversarii*. Hic quaero hanc quaestionem.

Quaestio I

An Generatio proprie dicta reperiatur in Divinis?

Generatio quidem proprie dicta in Divinis reperitur, quae si active sumatur, Patri dumtaxat ascribitur. Verum, cum loquendi modus obtinuerit, ut Deum gignere catholice, asseveremus; Deum tamen non generare, seu alium genuisse Deum, simpliciter negatur.

UTRUM GENERATIO proprie dicta sit in divinis? Et videtur quod non, quia vel talis generatio esset finita, vel infinita. Non infinita, quia infinitum nullum habet terminum, et per consequens generatione infinita nihil constitueretur in esse. Nec po[113]test esse finite, quia omne, quod proprie in Deo reperitur, est infinitum. CONTRA unumquodque est tunc perfectum, quando potest generare alterum tale, quale ipsum est, ut dicitur 4 Meteororum¹. Sed Deus est totaliter perfectus, ut patet 5 Metaphysicae² ergo etc. Hic sunt quattuor videnda. Primo id, quod quaestio quaerit. Secundo, utrum generatio sit in qualibet divina persona. Tertio, propter dicta Magistri

¹ Tex. c. 19

² Tex. c. 21

in hac distinctione videndum est, utrum haec sit vera, Deus generat. Quarto, utrum haec sit vera, Deus genuit alium Deum.

QUANTUM ad primum, utrum generatio proprie dicta sit in divinis, dicendum quod, sicut superius patuit, realem in divinis personarum distinctionem necessaria ratione probare non possumus, ipsa tamen per fidem praesupposita possumus in divinis probare veram generationem. Quia, ubicunque a producente natura communicator per modum naturae, ibi est vera generatio. Sed, ut infra declarabitur, in divinis communicatur producto a producente natura per modum naturae, ergo etc. Maior patet 2. Physicorum, ubi dicitur quod *generatio est via in naturam*, et Damascenus dicit quod *generatio est opus naturae*. SED GRATIA exercitii volo instare contra illam conclusionem fidelem, ut ex solutionibus argumentorum veritas clarius elucescat. Primo sic. Si in divinis esset generatio, hoc vel esset pro tanto, quod essentia generaretur, vel relatio, vel utrumque. Illa patet per sufficientem divisionem, quia nihil est in divinis, nisi essentia, vel relatio, vel constitutum ex utroque. Sed, ut probabitur infra, essentia non generat, nec generatur, relatio etiam nec potest esse principium actionis, nec terminus, ut patet 5 et 7 Physicorum³. Ergo, nec constitutum ex utroque, quia omne, quod convenit constituto, vel convenit ei ratione utriusque constituentium, vel ratione alterius tantum. Sed in proposito nec sic, nec sic, ut iam patuit, ergo etc. 2. Praeterea, ubi proprie est generatio, ibi genitum in aliquo eiusdem speciei assimilatur generanti. Sed Filius in nullo eiusdem speciei assimilatur generanti. Sed Filius in nullo eiusdem speciei assimilatur Patri, quia non in essentia divina, quia secundum essentiam est ibi identitas, nec secundum relationem, quia paternitas et filiatio differunt specie. 3. Praeterea, ubicunque est vera generatio, ibi aliquid generator. Sed in divinis non generatur aliquid, quia dato quod ibi sit filius, non est aliquid, sed ad aliquid. Sed non aliquid et nihil aequipollent, quia negatio praeposita signo particulari facit eam aequipollere suo contradictorio, aliquid autem et nihil sibi contradicunt. 4. Praeterea, quando aliquid invenitur perfectum et imperfectum in creaturis, si ut perfectum est, in Deo non reperitur, nec debet ibi reperiri ut imperfectum est. Sed generatio in creaturis perfecta dicitur illa, quae fit per commixtionem sexuum et ea, quae fit sine tali commixtione, imperfecta generatio est. Cum ergo prima non possit esse in divinis, ergo nec secunda. 5. Praeterea, a quocunque vere negatur superius, ab eodem vere negatur inferius sub illo superiori contentum, sed omnis motus et transmutatio vere negatur de Deo, ut patet Iacobi 1 et 8 Physicorum⁴ et 12 Metaphysicae⁵ ergo vere negatur de Deo generatio, cum ipsa sit species motus, ut patet in Post Praedicamentis. 6. Praeterea, si in divinis esset generatio, illa vel esset univoca vel aequivoca. Non aequivoca, nam in generatione aequivoca producens est nobilior product, quia continet ipsum virtualiter. Nec univoca, quia in productione univoca principia constitutiva producentis et producti sunt unius speciei, sed paternitas et filiatio, quibus constituuntur Pater et Filius, differunt specie. 7. Praeterea, in omni vera generatione genitum differt a generante, sed in divinis Filius non differt a Patre, ut probabitur, ergo etc. Maior patet per Philosophum 2 De anima, ubi ait quod *nihil generat seipsum [114a]* sed salvat*. Et Augustinus I De Trinitate⁶ vult quod nihil sit absurdus quam quod aliquid seipsum producat ut sit. Minor potest probari sic. Quicquid est in persona divina non potest differre ab ea, sed Filius est in Patre et Pater in Filio, iuxta illud, quod ait Dei Filius ad Philippum: *Nescis, quia ego in Patre et Pater in me est*.⁷ 8. Praeterea, id, quod reperitur in creaturis inferioribus, et non in superioribus, non potest formaliter in Deo reperiri. Quia, cum creaturae superiores sint Deo similiores, quam creaturae inferiores, non videtur quod aliqua perfectio formalis reperiat in Deo, quae sic conveniat inferioribus, quod deficiat superioribus.

³ Tex. c. 10 et c. 17

⁴ Tex. c. 77

⁵ Tex. c. 35 et 36

⁶ Cap. 1 tom. 3

⁷ Ioan. 14

Sed generatio reperitur in corporalibus et non in spiritualibus, ergo etc. 9. Praeterea, si in divinis esset vera generatio, ipsum genitum esset compositum. Consequens est falsum, quia secundum Beatum Augustinum, *quaelibet persona divina est aequae simplex sicut divina essentia*. Probo consequentiam, quia in omni genito oportet dare aliquid in quo genitum conveniat cum generante. Quia omne principiatum in aliquo assimilatur suo principio et oportet dare aliquid, in quo genitum differt a generante, cum nihil generet seipsum, sed in quocunque datur aliquid, et aliquid illud non est simplex, sed compositum. 10. Praeterea, omne quod sic se habet, quod quicquid habet ab alio habet, hoc secundum se consideratum nihil habet. Quia secundum Avicennam quando aliqua res habet aliquid tantum ab altero, illi rei secundum se considerat attribuitur oppositum illius. Eo enim ipso, quod aer lumen non habet a se, sed a sole, ideo aer secundum se consideratus caret lumine. Sed, si in divinis esset vera generatio, quicquid haberet genitum, hoc haberet a generante, ergo tale genitum secundum se consideratum tenderet in nihilum et per consequens esset creatura, quod erat error Arrii. 11. Praeterea, ubicunque est vera generatio, ibi auctoritas principii reperitur in generante et non in genito, et sic aliqua perfectio esset in Patre, quae non esset in Filio, si in divinis esset vera generatio. 12. Praeterea, opposita apta nata sunt fieri circa idem, generatio et corruptio sunt opposita, ergo, si in divinis esset generatio, ibidem etiam esset corruptio. Et confirmatur, quia secundum Philosophum primo Priorum, *si aliqua duo dicuntur de quolibet, et similiter alia duo dicuntur de quolibet, si unum unius combinationis convertitur cum uno alterius combinationis, similiter alia duo convertentur inter se*. Exempla ibidem posita sunt, corruptibile et incorruptibile, genitum et ingenitum. Sed omne ingenitum est incorruptibile, ergo omne genitum erit corruptibile, et econverso. Item I Caeli et mundi dicitur quod *ingenitum et incorruptibile convertuntur cum aeterno, ergo nullum genitum erit aeternum*. Item 7 Metaphysicae⁸ probatur quod non generatur nisi compositum. SED ILLA non concludunt. Ergo ad primum dicendum quod, sicut secundum Philosophum 7 Metaphysicae nec materia generatur per se, nec forma sed compositum ex utroque. Sic in divinis nec essentia generatur, nec relatio, sed constitutum ex utroque. Ad probationem dicendum quod, licet illud, quod convenit constituto, conveniat ei ratione alterius constituentis, non tamen oportet quod eo modo, quo convenit constituto, conveniat constituent. Quia, quod convenit constituto in ratione quod, convenit constituenti in ratione quo, et sic est in proposito. Quia, sicut Pater est illud quod generat, et essentia divina est principium quo generat, sic Filius est suppositum quod generator, et essentia est illud, quo filius generatur, cum ipsa essentia sit formalis terminus generationis. Ad secundum dicendum quod large loquendo, unitas sive convenientia in substantia dicitur similitudo, proprie tamen loquendo debet dici identitas, ut patet 5 Metaphysicae.⁹ Ad tertium dicendum quod F ratione essentiae, quae est sibi principium, quo generatur, est aliquid, cum essentia sit res absoluta. Ad quartum dicendum quod, [*114b] quamvis loquendo de generatione corporali, illa dicatur perfectior, quae fit per commixtionem sexuum etc. Hoc tamen locum non habet loquendo de generatione spirituali, quia corporalium ad spiritualia quasi nulla est comparatio. Ad quintum dicendum quod motus non est quid superius respectu generationis in divinis. De ratione enim generationis solum est, quod per ipsam genitum capiat ab alio esse naturae per modum naturae, quod autem hoc fiat per motum, vel mutationem, hoc non est de ratione generationis, ut generatio est, sed ratione imperfectionis annexae, puta ut generatio creaturae est. Ad sextum dicendum quod, proprie loquendo, generatio in divinis nec est aequivoca, nec simpliciter univocal, sed large potest utroque modo dici. Ad septimum dicendum quod ratione divinae essentiae, quae una existens communis est tribus personis, una persona dicitur esse in alia, et ratione eiusdem essentiae una persona est idem realiter cum alia, sed ratione relationum solum differunt. Ad octavum dicendum quod in creaturis superioribus, puta intellectualibus, bene est aliquid ad modum generationis, quia in eis gignitur verbum intellectuale et producit amor, secundum hoc etiam

⁸ Tex. c. 27

⁹ Tex. c. 16

in eis reperitur imago trinitatis. Ad nonum dicendum quod consequentia est falsa. Ad probationem dicendum quod, licet demus aliquid, in quo genitum in divinis convenit cum generante, non tamen damus aliquid in quo differat, sed solum ad aliquid, sive relativum, quod nullam penitus facit compositionem cum illo aliquid, puta cum essentia. Ad decimum dicendum quod illa ratio unum falsum praesupponit, scilicet quod Filius possit considerari secundum se, nam eo ipso quod Filius omne quod habet ab alio habet, ideo nullo modo Filius potest considerari secundum se. Exemplum etiam non est ad propositum, quia aer potest considerari secundum se sine lumine, sed Filius non potest considerari sine eo, quod habet a Patre. Ad auctoritatem Avicennae dicendum quod verum est de tali producto, quod producitur a producente natura distincto ab eo. Ad undecimum dicendum quod auctoritas in Patre dicit relationem principii, relatio autem proprie non dicit perfectionem, licet dicat modum habendi perfectionem, eadem enim est perfectio in Patre et Filio, licet alio modo sit in Patre quam in Filio. FORTE DICES, saltem Filius non erit aequalis Patri, si non habet talem auctoritatem. RESPONDEO cum Beato Augustino quod *secundum relationem non dicitur aliquid aequale vel inaequale, sed secundum quantitatem*, ergo Filius est aequalis Patri cum habeat eandem magnitudinem, scilicet eandem potentia cum Patre, licet non habeat praedictam relationem principii. Ad duodecimum dicendum quod corruptio non opponitur omni generationi; sed solum generationi, quae fundatur in materia habente privationem annexam, et quae subiecta est contrariae transmutationi. Et illo modo loquitur Philosophus de generatione in istis confirmationibus.

QUANTUM AD SECUNDUM principale, utrum generatio sit in qualibet persona divina, dicendum quod generatio in divinis sumitur, vel active, vel passive. Si active, tunc est in Patre, quia illud, quod sine motu et transmutatione vere generat active, habet in se generationem activam. Pater est huiusmodi, ergo etc. Et eadem ratione sive consimili probatur, quod Filius habet in se generationem passivam, quia id, quod vere generatur, habet in se generationem passivam etc. Sed in Spiritu Sancto proprie non est generatio, quia si in eo esset generatio illa vel esset active, vel passiva. Non activa, cum non sit generans, nec passiva cum non sit genitus. SED CONTRA iam dicta videntur esse duae opiniones. Quaedam antiqua, quae negat generationem passivam in divinis. Et alia moderna, quae dicit, [115a] * tam generationem activam quam passivam esse in Filio divinis. MOTIVA PRIMAE opinionis sunt haec. Illud, quod secundum suam rationem formalem dicit imperfectionem, non debet poni in divinis, sed generatio passio dicit imperfectionem, quia 3 Physicorum et 2 De generatione et 9 Metaphysicae pati reducitur in materiam, agere vero in formam, cum igitur generatio passiva sit quoddam pati de praedicamento passionis, ergo etc. 2. Praeterea, secundum Augustinum, Boethium et alios Doctores Sanctos, in divinis non sunt nisi duo praedicamenta, scilicet substantia et relatio. Sed generatio passio nec est substantia, nec relatio, cum sit de praedicamento passionis, ergo etc. 3. Praeterea, omne passivum dependet ab activo, a quo indigent ut in actum reducatur. Sed in divinis nulla est dependentia, ergo etc. SED ILLUD non valet, quia principium distinctivum, quo una persona divina ab alia distinguitur, necessario habet esse in ea, quam facit esse distinctam. Sed Filius per generationem passivam distinguitur a Patre, ergo etc. Maior patet, quia oportet principium distinctivum esse in eo, quod distinguit. Minor nota est per Damascenus qui ait: *Omnia in divinis sunt idem, praeter ingenerationem, generationem et processionem*. Et loquitur ibi de generatione qua Filius in esse personali constituitur, quae non potest esse active, cum Filius non generet, ergo passiva. AD PRIMUM dicendum quod minor est falsa, quia non minoris perfectionis est generatio passiva in Filio, quam generatio activa in Patre quia, sicut generare est proprietas Patris, sic generari est proprietas Filii. Ad probationem dicendum quod quamvis pati cum motu, et transmutatione dicat imperfectionem, generatio tamen passio, cum in divinis dicat simplicem emanationem sine motu et transmutatione, nullam penitus implicat imperfectionem. Ad secundum dicendum,

quod sicut in divinis quantitas et qualitas transeunt in substantiam, sic actio et passio transeunt in relationem, sive in modum relativum, maxime cum etiam in creaturis necessario circumcernant respectum. Quia non dicunt entitatem simpliciter absolutam, sed dicunt absolutum sub respectu, a quo respectu, nec in esse, nec in intelligi poterunt separari. Ad tertium dicendum quod verum est de passivo, quod recipit esse post non esse, et quod prius fuit in potentia ad esse, quam haberet esse, tale autem passivum non reperitur in divinis, cum Filius sit coaeternus Patri. MOTIVA AUTEM illorum, qui dicunt tam generationem activam, quam passivam, esse in Dei Filio, videntur esse ista. Quia actio et passio sunt in patiente, ut patet in sex principiis, sed generatio activa et passiva se habent per modum actionis et passionis, et Filius habet in se generationem passivam, ergo activam. 2. Praeterea, actio, qua aliquid in esse producitur, transit in productum, quia, si maneret in producente nihil constitueret differens a producente. Sed generatione activa Pater producit Filium, ergo etc. 3. Praeterea, opposita non possunt esse simul in eodem, sed ingeneratio est in Patre et est Patris proprietas, ergo non erit in eo generatio, et per consequens est in solo Filio. 4. Praeterea, motus non inest nisi in eo, quod movetur, ut patet 3 Physicorum¹⁰, ergo a simili generatio non est nisi in eo, quod generatur. SED NEC ILLUD valet, quia quamvis generatio, ut dicit motum vel mutationem, tantummodo sit in genito, tamen ut dicit relationem necessario ponit aliquid in utroque extremorum, quia philosophus 5 Metaphysicae¹¹ dicit, *relationem modo numeri et modo potentiae ponere aliquid realiter in utroque extremorum*. Sed relatio inter generans et genitum est relatio modo potentiae, ut ibidem patet. Cum ergo generatio in divinis nec motum nec mutationem dicat, sed dicat formaliter relationem sumptam modo potentiae, oportet nos concedere quod dicat aliquid reale existens in utroque suorum extremorum, scilicet in Patre et Filio. AD PRIMUM igitur dicendum quod actio et [115b]* passio sunt in patiente, prout fundantur in motu et sic non sunt in divinis. Ad secundum dicendum quod, quamvis actio transeat et attingat constitutum, non tamen oportet quod transeat in constitutum sub modo actionis, sed sub modo passionis, et ideo generatio ut passiva est in Filio, si enim actio transit in constitutum, hoc solum est, quia fundatur in motu. Ad tertium dicendum, cum ingeneratio nihil aliud dicat, quam esse ingentum, sive non productum, non opponitur generationi active sed generationi passive, et ideo non potest esse simul in eodem supposito cum generatione passiva. Ad quartum dicendum quod similitudo illa currit de generatione, quae est motus, vel mutatio, non autem de ea, quae est relatio, sive etiam simplex emanatio. QUANTUM AD TERTIUM principale, utrum haec sit vera, Deus non generat, dicendum quod usus quandoque in talibus propositionibus praescribit contra artem, quamvis enim secundum artem propositio indefinita, sive affirmative, sive negative sumatur, aequipolleat semper propositioni particulari. Tamen usus quandoque tenet cum arte, quoad affirmativas, non autem quantum ad negativas, quia negativa indefinita secundum usum quandoque aequipollet universali negative, verbi gratia, dicendo sic, *homo fecit turrim Babyloniae*, haec secundum artem et usum aequipollet particulari. Sed dicendo sic, *homo non fecit caelum*, haec secundum usum aequipollet universali, id est nullus homo fecit caelum. Illa videtur esse causa, quare illa absolute ab omnibus conceditur, Deus generat. Sed illa a multis simpliciter negatur, Deus non generat. UNDE DOCTOR communis dicit eam esse falsam, quia hoc nomen Deus supponit pro natura, nisi aliquid sibi addatur, quod ipsum faciat stare pro persona determinata, ut cum dicitur, Deus generat, tunc intelligitur pro Patre. Sed cum dicitur, Deus non generat, nihil additur, quod ipsum facit stare pro Filio, ideo intelligitur quod generare repugnet simpliciter naturae divinae. SED ILLUD NON videtur bene dictum, quia, quandocunque una contradictoriarum est falsa, oportet reliquam est veram, et hoc dico secundum artem, nisi usus loquendi in oppositum videatur. Sed haec, Deus non generat, contradicit huic, omnis Deus generat, et haec est falsa, scilicet, omnis Deus generat, quia Filius non generat, qui tamen est Deus, ergo prima erit vera. 2. Praeterea, antecedente existente vero,

¹⁰ Tex. c. 19

¹¹ Tex. c. 20

necesse est consequens esse verum. Sed haec, Deus non distinguitur realiter a Deo, est vera, et est antecedens ad illam, Deus non generat Deum, ergo et * illa erit vera. Minor patet, quia impossibile est aliquid esse genitum ab aliquo, nisi ipsum sit distinctum ab eo, cum nihil possit seipsum generare, ergo a destructione consequentis etc. 3. Praeterea, illa propositio, Deus non generat, habet duas causas veritatis, quia verificatur pro Filio et Spiritu Sancto, ergo est manifeste et simpliciter vera. Et istam puto bene concludere secundum artem, sed, ubi usus loquendi sanctorum aliud introduceret, nihil talium concludere reputarem. QUANTUM ad quartum principale, utrum haec sit vera, Deus genuit alium Deum, dico cum Magistro in littera quod haec est neganda, Deus genuit alium Deum; quia li 'alium', cum sit relativum diversitatis, cuicunque termino adiungitur, in illo notat distinctionem et diversitatem. Sed hic terminus Deus non potest esse diversis; quia tunc essent plures Dii, ergo etc. QUIDAM distinguunt dicentes quod li 'alius' potest teneri adiective, vel substantive. Si adiective, tunc propositio, Deus genuit alium Deum, est falsa. Si substantive, tunc poterit esse vera, quia potest appositively construi, puta Deus genuit alium Deum, id est genuit alium, qui est Deus. SED ILLUD dictum dupliciter deficit. Primo, quia adiectivum non [116a] * potest substantivari quando actu est adiunctum suo substantivo, quamvis absolute positum substantivari possit, verbi gratia dicendo sic, *Ego dabo tibi aliud*, li 'aliud' est neutrum substantivum et tenetur substantive, cum non sit coniunctum actualiter alicui alteri substantive. Sed dicendo sic, *Ego dabo tibi aliud lignum*, li 'aliud' necessario tenebitur adiective, cum sit actu coniunctum suo substantive. Sic, cum dicitur, *Deus genuit alium Deum*, li 'alium' est actu coniunctum suo substantivo, ergo necessario tenetur adiective. Vana ergo erit distinctio, quam isti ponunt. Secundo non valet illud, quod dicunt de illa constructione appositiva, quia, si propter hoc velles illam dicere veram, *Deus genuit alium Deum*, quia haec est vera, *Deus genuit alium, qui est Deus*, tunc aequali ratione illa erit vera, *Deus Pater est Deus Filius*, quia haec est vera, *Deus Pater est Deus, qui est Deus Filius*. Cum ergo illa appositio non valet ad hoc, quod haec sit vera, *Deus Pater est Deus Filius*, ergo nec illa appositio faciet, quod illa sit vera, *Deus genuit alium Deum*. SED CONTRA istam conclusionem posset argui sic. Haec est vera, *Deus genuit Deum, vel ergo genuit se Deum, vel alium Deum, non se*, quia Augustinus primo De Trinitate dicit quod est impossibile, ergo genuit alium Deum. 2. Praeterea, generatio est quasi nota personalis distinctionis. Sed Deus genuit alium Deum in persona. 3. Praeterea, cum dicitur, *Deus genuit Deum*, li 'Deus' non stat pro essentia, sed pro persona, quia essentia non generat, nec generatur. Cum ergo in personis divinis sit alietas, ergo videtur quod Deus genuerit alium Deum. SED ISTA non concludunt. Ad primum igitur Magister respondet in littera, quod nec genuit se Deum, nec alium. Non se, propter distinctionem necessario requisitam inter gignens et genitum. Nec alium Deum, propter unitatem divinae naturae, quae principaliter intelligitur in hoc termino Deus. SED FORTE dicens quod Augustinus videtur concedere quod genuit se¹², quia Augustinus ad Maximum dicit quod *Pater genuit de se alterum se*. Et 15 De Trinitate ait¹³, *Pater tanquam seipsum dicens, verbum genuit, non enim se integre, perfecteque dixisset, si amplius vel minus esset in verbo, quam in seipso*. Et super Ioan. ait, quod *Pater mittens Filium se alterum misit*. SED ILLA verba solvunt seipsa, quia Augustinus non dicit absolute se, sed dicit alterum se, ut per hoc ostenderet gignens et genitum in divinis cum essentiae unitate, personalem habere distinctionem. Ad aliud dicendum quod, licet generatio det intelligi personam, tamen de natura istius dictionis alius est, quod cuicunque termino iungitur, sive sit essentialis, sive personalis, sive notionalis, illius termini innuit diversitatem. Et quia hoc nomen Deus est terminus essentialis, ideo illa propositio non potest esse vera. Et per idem patet ad tertium. AD ARGUMENTUM principale dicendum, quod illa generatio est infinita. Ad probationem dicendum quod bene concludit de infinito successive, non autem de infinito virtualiter, tali enim infinito non repugnat habere terminum infinitum, licet ipsum non possit habere terminum finitum, sed terminus illius divinae

¹² Epist. 66 tom. 2

¹³ Cap. 14 tom. 3

generationis est infinitus, puta Filius Dei, qui est terminus totalis illius generationis, ac etiam terminus eius formalis, qui est essentia divina. [116b] *